



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

Titulus IV. Occasio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

duratur. Ingratum ad beneficia est, ad confilia infidum, ad iudicia sævum; inverecundum ad turpia, impavidum ad pericula, in humanum ad humana, temerarium ad divina; præteritorum obliviscens, præsentium negligens, futura non prævidens. Et ut in brevi cuncta horribilis mali mala complectar; ipsum est, quod nec Deum timet, nec hominem reveretur.

S. Bernardus l. 1. de confid. ad Eugenium c. 2.

Quatuor sunt hominum genera pertinaciter obflinatorum: scilicet tyrannus in retentione domini, hæreticus in pravitate fidei, assuetus verbis improprii; & possessor aliena rei. S. Thom. Aqu. opusc. 37. c. 4. Vide plura. Peccator. Consuetudo.

TITULUS IV. OCCASIO.

§. 1.

Bona non negligenda.

Ex Veteri.

EO tempore ierat Laban ad tondendas oves - voluit, Jacob consistere fecero suo, quod fugeret. Gen. 31. 20. Nactus est Jacob magis opportunum tempus ad fugam: locus enim ille, in quo Laban occupatus erat in tonsione ovium, remotè distabat. Dionys. Carth. apud Sylveira in Matth. 18. c. 13. q. 3.

Festinauit populus, & transit. Jos. 4. 10. Cum flumen apertum viderent, & occasionem ad trajiciendum; mox eam arripuerunt. Diez D. 23. Pent. conc. 1. Exsiccatus erat Jordanis alveus, commodaque in terram promissionis transeundi dabatur occasio. Itaque festinauit &c. Multa nobis dantur in coelum promissum transeundi occasiones: festinemus, & transeamus. Barradius D. 20. t. 2. l. 4. c. 14.

Elegit sibi quinque limpidissimos lapides. 1. Reg. 17. 40. Abul. q. 29. hic: accepit lapides, priusquam iret ad bellum: quia fortè postea, quando pugnaret, non reperiret lapides in loco, & interim posset eum percutere hostis: vel fortè non inveniret lapides convenientes sibi in loco; egebat enim durissimis. Didacus Nis. D. Sept.

In die bona venimus: quodcumq; invenit manus tua, da servis tuis, & filio tuo David. 1. Reg. 27. 8. Abul. hic: voluit petere tunc, & non alias: ed quod crederet, eum nunc magis esse dispositum ad dandum, quam alias: quia in illa die tondabantur greges, fiebat lætitia magna, & convivium; & cum hinc sine homines hilariore, esset magis dispositus ad dandum. Did. Nis. l. 4. c. 8. Vit. Abr.

Ex Novo.

Ecce leprosus veniens adorabat eum. Matth. 8. 2. S. Chrysof. quasi festinus occurrit ei. Abul. leprosus quasi ex quodam impetu, & cum quadam præparatione, veniebat ad Christum: quia timebat, ne intraret urbem, antequam curaret eum: & si introisset semel in illam, non licebat leproso illuc introire ad petendam curationem: ideo mansit paratus in loco suo, per quem Christus descensurus erat, ut

occurreret ei. Age tu in negotio animæ, quod ille circa corpus mortale. Did. Nis. D. Sept. §. 2.

Et ecce mulier Chanaanæ clamavit dicens ei: miserere mei &c. Matth. 15. 22. Non dimisit illum ulterius transire, quousque assecuta fuit omnia, quæ desiderabat. Stella in Luc. 7.

Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi. Matt. 20. 20. Advertendum, matrem filiorum Zebedæi accedere ad petendum, cum de Passione Christi sermo habitus esset, cum thesauri sanguinis Christi aperiantur. Quando tu memoraris Passionis Christi, illamque recogitas, & Patri proponis; tunc pete, quidquid voles. Ut petas à rege beneficia, expectas temporis opportunitatem, cum lætus est. Lætitia Christo Passio; mira dat in Passione beneficium. Osorius f. 4. D. 2. Quadrag.

Quid molesti estis huic mulieri? Matth. 26. 10. Cur Christus reprehensit Discipulis, Mariam laudat? R. ex verbis Christi: quia usâ occasione, Christo in propria persona beneficiendi. Sylveira hic q. 11.

Venit hora. Marci 14. 41. quasi dicat Apostolis: non illam prætereamus. Heu quam multi horam divinis actionibus aptam prætereunt; & eos incautos apta hora pertransit; & in omni vita ipsorum non revocaverunt præteritum; nec illud bonum, quod se ad agendum præbebat in hora dimissum. Affuit hora exercendæ humilitatis, & absque humilitate transire permiserunt: affuit hora, quæ parabatur fluvius lacrymarum, peccata delentium; & absque lacrymis, imò steriliter, illa hora defluxit; nec reinvenirent similem actionem. Præstat aliquando hora orandi facilitatem; & mora horam deduxit in horam; & illa in aliam: & sic per incuriam tempora multa vacua deflexerunt. Non ergo prætereamus horam nostram, quia nescimus horam divinam: hora nostra est actionis; dijudicationis est hora divina. Sim. Cas. l. 13. c. 7. hic.

Et hæc ipsa hora superveniens. Luc. 2. 38. Supervenit hora, quæ Christus advenit, cum quo in templo convenit. Supervenit anus ista, debita hora; quoniam ante illam venisset in cassum, quia scriptum est: *vanum est vobis ante lucem surgere.* Vanum porro cunctis viventibus factum erat, ante lucem, quæ Christus est, boni aliquid peregrisse: post venisse, protinus ignavia adscriberetur. Cœpit hora,

hora, convenire posse cum Christo ab eo tempore, quò in Mundo incarnatus apparuit & usque ad sæculi terminum perdurabit. Post mortem verò hæc hora finem fortietur; ut, qui cum Christo in hac hora, in hoc templo, non convenierint; post mortem convenire nullatenus possint. Et cum omnes habeant horam; vae qui perdidit conveniendo horam cum Christo: qui omnem semper paratus est ad horam, quando ad ipsum redire decernimus. Sim. Cas. l. 2. c. 17. hic.

Cum autem sol occidisset. Luc. 4. 40. Cur post solis occasum adducebantur infirmi ad Christum? R. Abul. in Matth. q. 8. quia sequenti die manè recessurus erat de urbe Capharnaum. Marci 1. 35. Luc. 4. 42. Uti scilicet occasione. Sylveira hic. q. 8.

Cum audisset de Jesu. Luc. 7. 3. Mox ut Christus Capharnaum pervenit, & id intellexit centurio; nuntios ad illum misit, nè forte discederet. Si Christus prope te transierit, & audieris famam ejus, vocem, & inspirationem; nè facias moram, sed citò accurre, antequam discedat, mors veniat. Stella hic.

Et ecce mulier ut cognovit. Luc. 7. 37. Mota ad cœlestis Doctoris verbum, suorum peccatorum mole contrita, liquefacta dulcedine Christi, tracta decore conversationis; fida in animo, de benignitate ipsius sperans remissionem peccatorum; incensa igne charitatis illius; opportunitatem perveniendi studiò impigrò quærebat. At ubi tempus, & locus, & quæsitus Christus, conveniunt; quærens invisibiliter tracta. non sonò vocis, sed mente vocata venit. Simon. Cas. l. 8. hic de Magdalena. Nota diligentiam: non interposuit moras; non reservavit penitentiam ad finem vitæ. Casar. Arelat. hom. 7. Nec ipsa se reservavit, ut in fine vitæ penitentiam ageret; sed, dum adhuc poterat peccare, sic voluit peccata deferere, ut illam de adulteriis suis non impossibilitas subtraheret, sed voluntas. Sylveira hic. Avide arripit occasionem salutis, alibi forsàn non habitura. Tertull. l. de pœnit. c. 4. rape occasionem inopinatæ felicitatis. Id. ib.

Occurrerunt ei decem viri leprosi. Luc. 17. 12. Occurrerunt ei; nè, si transiret Jesus, ipsi remediò privarentur. Utere occasione salutis, quæ à tegro calva est. Sylveira hic. q. 3.

Quod Jesus transiret. Luc. 18. 37. Cœcus oblatam arripuit occasionem: nam pertransiit benefaciendo. Act. 10. 38. Escobar t. 5. Prophet. Chr. l. 12. sect. 2. §. 2.

Domine, memento mei. Luc. 23. 42. O quam bene occasione tam bonâ uti scivit, petens gratiam eò die, quò sanguinis sui thesauros Christus fudit; eò die, quò cum divina iustitia genus humanum reconciliabatur; eò die, quò pro reis innoxius immolabatur. Did. Nis. f. 2. D. Palm. de Convers. boni latr. Latro accessit optimò tempore. 2. Cor. 6. 2. *tempore acceptò exaudivi te, & in die salutis adjuvi te.* Dum enim omnia tempus habent, quænam dies salutis? quod tempus acceptum? nisi hora illa, in quo tantum sacrificium Patri oblatum est; quando Christi chari-

Polyanth. Sacr. Tom. II.

tas summè exarfit; quando gratiæ pretium tam copiosè effundebatur. Oforius f. 2. D. Palm.

Reliquit ergo hydriam suam mulier. Joan. 4. 28. Quare mulier, dum tendit in civitatem, hydriam relinquit? Ratio hujus germana: nè ipsam hydriam priùs domum portans detineretur ad tantum bonum suis concubibus nuntiandum: nè etiam ipsâ morâ Christus inventus in itinere elaberetur. Sylveira hic. q. 37.

Secundùm tempus. Joan. 5. 4. Descendit Angelus opportunò tempore, quando Deo visum; non certò aliquò Paschatis, sed hominibus minimè cognitò. Et idè Angelus aliquando venit interdiu, aliquando nocte, aliquando frequenter in anno, aliàs raro. Euthymius: non semper fiebat miraculum, sed certis temporibus; hominibus quidem incognitis; verum frequenter, ut opinor, in anno: propter hoc siquidem in porticibus deambulabat languentium magna multitudo. Hoc à nobis Dominus maxime exoptat, ut omnibus horis, & momentis, de nostra salute sollicitissimus. Sylveira hic. q. 9.

Ante diem festum Pasche, sciens Jesus, quia venit hora ejus. Joan. 13. 1. Scilicet Passionis & mortis. Præoccupavit diem Passionis suæ Dominus; ut pridie faceret, & ordinaret plurima, ad remedium nostrum spectantia; quæ postredie per tumultuariam captivitatem tractare non posset: solatium Discipulorum, lotionem pedum, SS. Sacramentum. Ut disceremus, non differre ad diem mortis, quæ viventes, scientes, & prudentes, facere nos convenit. Si enim Christus summa sapientia; qui omnia derepente, & ex tempore, facere accuratissimè poterat; ita se tamen ad diem, & horam mortis composuit, acli antecedente præparatione eguisset; quantà præmeditatione se comparare homo debet ad horam mortis felicem, quæ tam multa occurrunt faciendâ, quæ antè fuisse facta oportet. Did. Nis. D. Septuag. §. 2.

Ecce aqua. Act. 8. 36. S. Hilarius in Pf. 67. Sacramentum Baptismi adeò impatienter postulavit, ut à Diacono ministerium Apostolici officii salutis suæ cupidus exigeret. Arripuit aquæ opportunitatem Eunuchus, cujus erat in via raritas per desertum. Præsentem, & aptam occasionem noluit omittere. Sylveira hic.

§. II.

Occasionis bonæ non negligendæ alia motiva.

Egrediamur foras. Gen. 4. 8. Oleaster: utinam, qui bona agunt, sic opportunum ad hoc tempus quærent, quemadmodum peccatores. Nōrunt peccatores suam opportunitatem magis operibus quærere, quam boni vix ad opera bona curant. Observavit ergo nequam Cain tempus, quò fratrem solum inveniret in agro; ubi, qui prohiberet, non inveniretur; neque, qui accusaret, adesset. Did. Nis. D. 7. Pent. §. 3.

D d 2

Qui

Qui timet Deum, nihil negligit. Ecclæ.

7. 19. *Vidimus enim stellam & venimus.* Matth. 2. 2. Stella est gratia præveniens; quæ ducit ad perfectionem, & consummationem. Hugo Card. hic.

Adhuc modicum tempus vobiscum sum. Joan. 7. 33. Dives in misericordia Dominus peccatoribus his promittit vel modicum tempus: pretiosa enim temporis particula ad conversionem. Pensa illud *adhuc*. Cur illò modicò tempore, quò adhuc donaris, ad conversionem non uteris? pro dolor! *adhuc* illi misericordis Dei addis, *adhuc* impænitentiæ, & pertinaciæ. *In omnibus his peccaverunt adhuc*. Pl. 77. 32. Efcobar t. 2. Perf. Chr. l. 6. sect. 1. obf. 7.

In novissimo die magno festivitatis stabat Jesus, & clamabat. Joan. 7. 37. Toleus: eos clamore hùc valde admonet suæ; nè opportunitate tantâ neglectâ pereant. Id. ib. sect. 2.

Præteriens Jeshu vidit hominem cæcum. Joan. 9. 1. Magna transiens operatus. Sic cæco, qui erat juxta Jericho, visum restituit præteriens viam. Luc. 18. 37. Sic Petrum, Andream &c. vocat *ambulans juxta mare*. Matth. 4. 18. Sic etiam Matthæum, *cùm transiret*. Matth. 9. 9. Zachæum &c. ut intelligas, præterire Christum D. Si te vocat, ideo continuo accede, nè omnino pertransseat. Est tibi nunc divina inspiratio, audis concionem, vidisti amicum mori: transit Deus; responde ei: nè tibi contingat, quod sponsæ, quæ continuo sponso aperire noluit. Cant. 5. 6. Cùm postea surrexit, ait: *ille declinaverat, atque transierat*. Orosius f. 4. D. 4. Quadr.

Vae! vae! civitas illa magna Babylon quoniam unâ hora venit judicium tuum. Apoc. 18. 10. Repentinus tibi superveniet interitus, & poma desiderii anime tue discesserunt à te. Poma, id est, opportunitas discessit à te. Efcobar t. 1. mir. Chr. l. 5. obf. 5.

Edem Horæ perpetuo apertam Romani voluere, illiusque aditum patere omnibus. Alexander ab Alex. l. 1. c. 14.

§. III.

Occasio mala vitanda.

Ex Veteri.

Et nè tangeremus illud. Gen. 3. 3. Mendacii ab Interpretibus solet argui Eva; quòd non solum esum, sed etiam tactum ligni, sibi dicat prohibitum; quòd tamen c. 2. 17. non exprimitur. Ego tamen non video, cur, qui in negotio minus periculoso, montis tactum prohibuit, hic etiam tactum ligni non vetaret; licet id Scriptura non referat. Quòd si, ut est, probabile putas; meritò Deus vetuit tactum, nè à tactu veniret ad esum. Oleaster hic: pius Pater præcepit non tangere, licet scriptum non sit; nè contingeret edere. Solet Dominus vias ad peccandum, seu initia, præcludere; nè contingat peccare. Ramirez in ep. 1. Apoc. 2. 2. Produxit Dominus in medio paradisi scientiæ

boni, & mali. Quare non in extremo? nè, dum frequenter eam arborem in conspectu cernerent, quasi quibusdam irritamentis, & illecebris, illechi in datam legem committerent delictum. Procopius apud Fernandium in Gen. 2. 9.

Ambulavit Henoch cum Deo, & non apparuit. Gen. 5. 24. Sic enim vitabat homines, ut domise contineret. Philo l. de Abrah. latere ignotus cupiens, non humanæ societatis odiò; verum quia fugitat vitia, quibus vulgus delectatur. Velloso in Judith. Paræn. 12.

Noli respicere post vergum. Gen. 19. 17. Præceptum hoc, in detestationem sceleratæ gentis, & terræ: & ut docerent, talia flagitia in tantum esse detestanda, & fugienda; quòd etiam usque ad primum conspectum visus, vel memoria, non venirent. S. Thom. Aqu. hic.

Judæis, nè idola colerent, etiam fabricare non licebat. Ex. 20. 4. Nè die Sabathi coquebantur cibos, etiam ignem accendere prohibebantur.

Conscidisti saccum meum. Pl. 29. 12. Mendoza in 1. Reg. 3. peccatum comparat cum habitu sacco, aspero, & abjecto, quò peccatores induuntur. Hunc habitum dicit non exutum, sed conscissum: nam habitum, quem nocturnò tempore dormiturus exuis, matutinò iterum assumis: at verò quem non modo exuis, sed etiam scindis; nuquam amplius recipis induendum.

Liberasti me de portis tribulationum, quæ circumdederunt me. Eccl. 5. 4. 5. Hoc est, peccandi occasionem Deus à justo amovit: qui, si portarum captus esset illicio, sanè scelus non evitasset. Olival. 12. Strom. §. Et de portis &c.

Fugite de medio Babylonis, & salvet unusquisque animam suam. Jer. 51. 6.

Sepiam viam tuam spinis. Os. 2. 6. Deus sepit, & obstruit vias peccatoribus, cùm eos à peccatis, morbis, ærumnis, odiis, persecutionibus, cohibet; vel ipsas occasiones peccatorum tollit: quæ ingens est Dei misericordia; licet peccatori, suas delicias concupiscenti, ingrata, & exosa. Sic sepit viam libidinis lue Gallicæ: avaris, dum merces per naufragium perdunt: ambitiosis, favorem, & gratiam tollendo. Cornelius hic.

Ex Novo.

Tunc Jesus ductus est in desertum. Matth. 4. 1. Lotus in aquis illicò deserta penetravit, dedicans se totum altissimo, subtrahens se à sæculo: non sibi timens, aut cavens, existens incorruptibilis ab omni, quòd maculare hominum mores posset: sed sequentibus præstrinxit vivendi formam: quàm cauta sit conversatio eorum, qui purgationem acceperunt veterum delictorum; in quocunque sit ordinata purgatio. Sim. Cas. l. 1. c. 18.

Qui viderit mulierem ad concupiscendum &c. Matth. 5. 28. S. Chrysof. hom. 17. in Matth. semel quidem, & secundo, & tertio

tiò sic videns, possit fortasse animum continere; si verò frequenter id fecerit, fornicemque illam sponte succendas; profectò capieris: neque enim extra naturam, aleamque humanam, consistis.

Statim compulit Jesus Discipulos ascendere in naviculam. Matth. 14. 22. Sub noctem puto confectum epulum v. 15. homines in hoc multi, *exceptis mulieribus.* v. 21. Ideò Magister Christus occasionem sustulit tam nequitia, quam infamia. Cajet. in Marci 7. quibus cavebat à nocturno mulierum consortio. Velloso in Judith. 5. Paræn. 12.

Arefacta est continuo ficulnea. Matth. 21. 19. Athanas. q. 58. arefecit peccati operculum, id est, folia ficis. Instrumenta, & occasiones, peccatorum tollit Deus, quibus irascitur: succidit lucos, templa ipsa, in quibus of-funditur. Apud Velloso in Judith. 2. Paræn. 21.

Si dixerint vobis, ecce in deserto est, nolite exire. Matth. 24. 26. S. Chrysof. non dixit: ite, & non credite; sed, non exeat: magna enim fraus propter signa futura est. Apud Did. Nifs. D. 11. Pent. §. 3.

Apprehendens eum de turba seorsum. Marci 7. 32. Poterat Dominus hunc agrum in medio populi, qui sequebatur, sanare; sed quòd illum abstraxit, docere voluit: fugiendum è multis illi, qui vult sanus fieri, & salvari à peccatis. Did. Nifs. D. 11. Pent. §. 3. Qui vult sanari à peccatis, debet tumultum Mundi evitare. Hugo Card. hic. Et Sim. Cas. l. 5. c. 23. providus medendi archiater, primò sanandum retrahit à prohibentibus sanitatem.

Neminem per viam salutaveritis. Luc. 10. 4. S. Ambros. l. 7. in Luc. fortassis quibusdam hoc durum, & superbum videatur malevolis praesertim rerum alienarum censoribus; qui arrogantia tribuant, quòd Discipuli ejus Domini, qui maximam semper praesetulit mansuetudinem, humanitatem, humilitatem; nec salute, nec verbò quidem, dignentur obvios. Sed responderet Ambrosius: ideo honesta prohibentur, nè solennis gratia obrepat officii, & impediatur ministerium, cujus mora culpa sit. Si honesta, tanquam honestarum rerum impedimenta interdicuntur; quam tu speres in rebus inhonestis, & illicitis securitatem? Si bonum inferius quandoque melioris impedimentum, tunc à deterioribus ad bona tuto facere gradum posse putas? Did. Nifs. ib.

Auferte ista hinc. Joan. 2. 16. Tunc ritè curatur malum, quando omnis relabendi in illud occasio prorsus tollitur. Quares: cur animantes ejecerit è templo? cum satis fuisse videatur, exturbasse eos, qui illud usuris, & illicitis negotiationibus, profanabant. Respondet Toletus: Prudenter Christus hominibus ejecit, oves eorum, & boves, etiam ejecit; nè redeundi relicta videretur occasio: tunc enim malo subvenitur profectò, quando etiam mali occasio amputatur. Did. Nifs. f. 2. D. 4. Quadr. §. 3.

Tolle grabatum tuum, & ambula. Joan. 5. 8. Sanitate donatum languidum jubet Dominus, & portare grabatum, & ambulare. Cur?

quia, cum peccatoris gereret imaginem, à loco, ubi aegrotabat, discedere oportebat. Escobar t. 1. Mir. Chr. l. 5. f. 2. obs. 7.

Lazare veni foras. Joan. 11. 43. Extra sepulchrum Lazarus solvitur: in occasione enim delinquendi constitutus quomodo potest absolutionis beneficiò frui? De egresso dicitur: *Subvite eum, & sinite abire.* Escob. t. 1. Mir. Chr. l. 10. sect. 3. obs. 6. Ut Lazarum vità donaret, è sepulchro prodire jussit: ut significaret, qui resuscitari verè cupit, non debere remanere in sepulchro, non hærere intrà occasionem; sed procul ab illa discedere. Did. Nifs. de Lacrymis Petri §. 5. *Egressus foras.* Luc. 22. 62. turpiter fallitur Christianus, qui putat, procul abesse posse à peccato, cum peccandi viciniam habet occasionem. Id. ib.

Nunc scio verè, quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis. Act. 12. 11. Donec in carcere versabatur Petrus, licet expeditus vinculis esset, non putabat securam, & certam, suam libertatem; sed ludificari se putabat; *existimabat se visum videre.* At cum è carcere procul inde evasisset, tunc dixit: *nunc scio verè.* Illusio, & fraus demonis est, si putas te procul à peccato, dum adhuc in carcere occasionis hæres. Cypr. l. 1. ep. 11. nemo diu tutus est periculo proximus. Did. Nifs. de lacrym. Petri §. 5.

§. IV.

Exempla

Ex Veteri.

Quandò profecti essent, terror Dei invasit omnes per circuitum civitates; & non sunt ausi persequi recedentes. Gen. 35. 5. legelocum. Cur fugientem timent? juxta S. Chrysof. hom. 56. in Gen. spiritualia prelia hoc factum adumbrat; in quibus ille formidini est hostibus, qui fugit, qui pavet, qui pericula cautus vitat. Si fugis, demonem fugasti. Prima in Eccl. Ethol. 108.

Percutiens virgà bis siliem &c. Num. 20. 11. Moyses ultimò usus est mirabili virgà suà apud Cades; ita ut amplius eam in ministerium accepisse non legatur in Scriptura, ut advertit S. Cyrillus: cur ita deinceps abstinuit? virgà in Cades occasio fuit, ut Moyses delinquens offenderet Deum. Vide deinceps ut prudens cavet à virgà; nè iterum ex ea alia peccandi occasio deveniret. Sylveira in Joan. 21. c. 8. 9. 9.

Libavit eam Domino. 2. Reg. 23. 16. Eucherius: qui quondam concupiscere alienam conjugem nequaquam timuit; postea etiam, quia aquam concupisisset, expavit. Sic Sancti expiis periculis sunt cauti; ut, quidquid illius speciem refert, fugiant, & metuant. Baerza t. 1. l. 2. c. 10. §. 12.

Pepigi sedus cum oculis meis, ut nè cogitarem quidem de virgine. Job. 31. 1. Glossa hic: visum sequitur cogitatio, cogitationem delectatio, delectationem consentus, consentum

sensum opus, opus consuetudo, consuetudinem necessitas, necessitatem desperatio, desperationem damnatio.

Si vidi solem, cum fulgeret; & lunam incidentem clarè. Job 31. 26. Hoc faciebat sanctus vir: quia sciebat, pulchritudinem astrorum illorum plurimis vicinis suis fuisse occasionem idololatriandi; dum ipsa ut deos adorabant. Diez. occasio mala fugienda.

Ab omni via mala prohibui pedes meos, ut custodiam verba tua. Pf. 118. 101. Lorinus: ab omni via mala, id est, proclivi, & præcipiti. Escob. t. 3. Coll. Chr. p. 2. f. 4. Obs. 7.

Vide, si via iniquitatis in me est. Pf. 138. 24. q. d. precor, ut attendas, non solum an in me sit iniquitas, quam misericorditer deleas; sed etiam ulla via, id est, dispositio, aut occasio, a me procedens, avertatur. Mendoza in 1. Reg. annot. 8.

Ex Novo, & aliis.

Ubi est, qui natus est rex Judæorum? Matth. 2. 2. Quoniam per stellas deducti in errorem aut fuerint; eam nunc, quæ ducebantur, suspectam habent: utque certiores fiant; quarunt, *ubi est &c.* Did. Nifs. f. 4. D. 1. Quadr. §. 2.

Vade in pace. Luc. 7. 50. Magdalena pœnitens non solum fugit carnis illecebras; sed & alabastrum unguenti frangit, ac Domino litat. Nec enim sufficit ab impudica vita abstrahi, si cultus superfluitate, & deliciis, rursus allicitur ad scandalum. Escobar. t. 3. Coll. Chr. p. 2. f. 4. Obs. 7.

Egressus foras Petrus. Luc. 22. 62. Fugit cadendi periculum. S. Leo f. 9. de Pass. apud Escob. t. 3. Coll. Chr. l. 4. sect. 2. Obs. 2.

Petrus autem surgens cucurrit ad monumentum. Luc. 24. 12. Petrus foeminae non credens-memor lapsus, in quem a muliere impulsus erat. Did. Nifs. f. 4. D. 1. Quadr. §. 2.

§. V.

In occasione lapsi.

Ulli respondit mulier. Gen. 3. 2. Oportebat initio colloquium illius non ferre; sed illi soli loqui, propter quem, & in cuius adiutorium producta fuit. Audiant, qui sine discrimine cum omnibus loquuntur. Oportebat, siquidem prudens fuisset, illum omnino averfari, nihilque ultra illi loqui, neque audire loquentem. S. Chrysof. t. 1. hom. 16. in Gen. hic. Libera nobis relinquitur facultas asserendi, quod non serpens, præsertim à diabolo corporaliter invadente possessus in paradiso fuerit. Sed mulier corpore, & oculis vaga, dum in continenter deambulat; fœtè prospectans, qualis extra paradisum Mundus haberetur; & serpens, utpote astutus, dulcedini terræ propius, vel ambitiosius innititur, locus diabolo datus est, & occasio porrecta, ut tentaret. Rupertus l. 3. c. 2. in Gen.

Vidi inter spolia pallium coccineum, & concupiscens abstuli. Jos. 7. 21. Abul. hic q. 69. Archan, quando ivit ad urbem Jericho vastandam, & diripiendam; non deliberaverat furari aliquid de anathemate: sed postea casu vidit hæc, & videns concupivit, atque rapuit. Quam multi domo suâ exeunt, non solum absque omni offendendi Dei cogitatu; verum etiam cum firmo proposito confitendi, communicandi; aut aliud quidpiam, quod Deo placeat, faciendi: offenduntque per viam laqueum, incidunt in occasionem, & miserè labuntur. Did. Nifs. Phœn. Græc. l. 1. c. 13.

Surge, & comede. 3. Reg. 19. 5. Dormientem Eliam suscitavit Angelus: Quid verò Elias? de somno expergefactus, comedit, & bibit, & rursus obdormiit v. 6. Cur relabatur in soporem? nisi quia è loco non expeditur. Amabat suam juniperum, ab illius umbra discedere nolebat. Quid Angelus? iterum suscitavit dormientem. Sed Elias evigilans, & exiliens è loco, nunquam amplius dicitur eundem somnum repetiisse: imò potius ambulavit in fortitudine cibi illius usque ad montem Dei Horeb. v. 8. Ità se habuit filia Archi-Synagogi, quam Christus resuscitavit. Marci 5. 42. *Surrexit puella, & ambulabat.* Cur non potius in eodem lecto, quo mortua fuerat, quiescebat? quia anima non solum debet peccata deserere; sed etiam peccandi occasiones. Mendoza in 1. Reg. 13. sect. 2.

Excelsa quoque - polluit rex. 4. Reg. 23. 13. Ex his arguit Abul. 2. Reg. 7. q. 13. Si Salomon verè pœnitisset de peccatis suis, delevisset omnia templa, & altaria, quæ fecerat in terra Jerusalem; tamen ipse non destruxit illa; sed manserunt usque ad regem Josiam: ergo non pœnituit. Majorem sic probat: nam non pœnitit aliquem verè, cum permanet in peccato: nec aliquis verè pœnitit de fornicatione, dum tenet concubinam in domo: sic etiam nullus de idololatria dolet, dum non destruxit altaria, quæ ædificavit idolis. Nam quem serid sui sceleris tædet, is omnem relabendi in illud occasionem succidit. S. Chrysol. l. 116. vocat malas occasiones, fumantes occasiones. Post extinctum in domo, quod conflagrabit, ignè, si trabes etiamnum fumant, non satis credis omnem profusus extinctum ignem. Sic quorum animæ igne culpæ arserunt, extinxerunt illud incendium igne pœnitentiæ, relicta domi occasione. Fuitne hic bene extinctus ignis? non sanè: nonne vides densum ab occasione assurgere fumum? illa sopitos iterum suscitabit ignes. Did. Nifs. f. 2. D. 4. Quadr. §. 3.

Funes circumplexi sunt me. Pf. 118. 61. Revera funes, per quos attracti, & complexi sunt peccatores, plerumque sunt peccandi occasiones; quæ dicuntur peccati dispositiones. S. Bonavent. hic.

Erat

Erat in civitate peccatrix. Luc. 7. 37. Verbum hoc addit Evangelista; ut adderet causam, ob quam hæc mulier in tantam miseriam devenerit; quod in civitate habitaret; ubi multe peccatorum occasiones se offerunt. Ideo Jer. 51. 6. *fugite de medio Babylonis, & salvet unusquisque animam suam.* Diez. conc. 1. in festo S. Magd.

Erat autem Parasceve. Joan. 19. 14. Ocasio fecit occisores. Matth. 26. 15. *quid vultis mihi dare &c.* Euthym. quamquam ita statuerunt, non tamen expectaverunt; sed invento proditore occasionem rapuerunt. Did. Niss. Vit. Abr. l. 7. c. 5.

§. VI.

In occasione primum est labi, prodigium non ladi.

Venerunt duo Angeli &c. Gen. 19. 1. &c. Origenes hom. 9. in Gen. Loth in Sodomis habitabat; alia ejus bene gesta non legimus. Sed nonne legimus ejus hospitalitatem Gen. 19. 2. dicere vult Origenes; quod Loth in medio peccatorum illatus permanserit à mala occasione innoxius, tam rarum prodigium fuit; ut alia ejus facinora, licet præclara, omnia hoc unum obscuret. Did. Niss. Vit. Abr. l. 7. c. 5.

Vadam, & videbo visionem hanc magnam. 3. 3. Visiones vidit Ilias, Ezechiel, Daniel, Abraham, Jacob. At inventis, nulli earum concessum nomen *magne*; tamen valde recondita, & admirabiles fuerint. Cur ergo sola Moysis visio dici meruit magna? *Videbat, quod rubus arderet, & non combureretur.* Did. Niss. l. 1. Phen. Gr. c. 13.

Faciã mirabilem in die illa terram Gessem, in qua est populus meus: ut non sint ibi miseria. Ex 8. 22. Gessen, est *propinquitas*, inquit Glossa interl. Terra enim Gessen vicina erat, & finitima illi, in qua barbarus rex degebat! Quod verò tota Ægyptus infecta fuit mulcis; & tam contagiosa pestis nihil redundavit in terram Gessen proximè vicinam; hoc tale erat, ut merito diceret Dominus: *faciã mirabilem &c.* Id. ib.

Ter naufragium feci: nocte, & die in profundo maris sui. 2. Cor. 11. 25. Querit S. Remigius, qui factum, quod toties naufragavit Paulus? Respond. qui sapissime navigo utebatur, non est mirum, si toties naufragium passus sit. Carolus V. teste Joan. Kochier l. 1. c. 1. de mari dicebat: *o malum hospitium! o malum hospitium mare!* Idem ego occasionibus malis affirmo. Quid mirum, quod multæ animæ naufragentur? cum toties malo hospitio se committant. Did. Niss. l. 2. D. 4. Quadr. §. 3.

Ocasio peccati vix non ipsum peccatum. Egro pomum vetat medicus; ille tamen pomum manu tractare, & olfacere, non desistit; ad os adhibet, & comedit: quod satis Evæ fuit, ut se perderet, & Mundum. Da hydro-pico, ut saltè labia aquâ refrigeret, certè, licet juratus spondeat, se non hausurum vel guttam, tandem bibet. Alvarez in Gen. 39. Mult. 93.

§. VII.

Occasionem vitandi varia motiva.

Vidit mulierem se lavantem. 2. Reg. 11. 2. S. Chrysofost in Pl. 50 Audiant curiosi, qui alienas formas contemplantur: audiant, qui infansò spectaculorum studio tenentur; qui dicunt, spectemus quidem, sed sine detrimentò. Quid audio? David læsus est, & tu non læderis? ille læsus est, & ego tuæ virtuti confidere queo? is, qui tantam Spiritus S. gratiam habebat, spiculum exceptit; & tu sauciari te negas? Nec tantum respicis, sed etiam audis improba verba, & meretricias, atque obscenas, cantiones: omnique ex parte feritur mens tua; per aspectum nempe, per ea, quæ vides: per aures; per ea, quæ audis. Num tu læxuses? homo es, communis naturæ; imbecillitati obnoxius. Aude negare, quòd scænum uratur. Pinna Ethol. 108.

Agnoscamus præcipitia, nec appropinquemus. Hæc maximæ securitatis vobis erit occasio; non tantum peccata fugere, verum & quæ videntur media quidem esse; ad peccata verò nos supplantant: quale est, videre, & jocosa dicere verba; non manifestum quidem peccatum esse videtur, sed in manifestum crimen inducit. Nempe sæpius ex risu turpia nascuntur verba; à turpibus verbis actiones turpiores. S. Chrysofost. hom. 15. ad pop. Antioch.

Perfectè renuntiat vitio, qui occasionem evitat in perpetrando peccato. S. Isidorus l. 2. sent. c. 32.

Fuge personam suspectam, locum idoneum tempus aptum, & quicquid est opportunum ad faciendum peccatum: quia sic est difficile, in igne esse, & non ardere; ita difficile, habere opportunitatem peccandi, & non peccare. Innocentius P. in Pl. 37. 6.

Non habet locum tentatio animam attingendi, nisi tanquam escam quandam, hanc mundanam occupationem pravò hamò avidioribus porrigeret. Sævum, & infestum ex tempestate, atque procellis, sæpenumero mare est; at non procul ab eo remotis. Vim absumpticem habet ignis, sed subjectæ materiæ. Dirum, & atrox, bellum est, sed solis iis, qui prælii participes sunt. S. Gregor. Nyss. de orat. Dom. or. 5.

Veræ compunctionis indicium opportunitatis fuga subtractio occasionis. S. Bernardus l. 1. in die Paschæ, circa finem.

In filice ignis latet, & tamen sine chalybis ictu non comburit digitos, nec extrà egreditur: imò etiam percuitur, & scintillas emittat; sine fomite, aut aliâ escâ, non incenditur rogi, quò domus comburatur. Fateor, in quolibet corpore humano, tanquam in filice, ignem concupiscentiæ latere; tamen sine tentatione non exeunt scintillæ; nec domus, id est, anima comburitur; imò nihil proficit, si desit occasio escæ. Diez. Ocasio mala.

§. VIII.

§. VIII.

Occasionem temerè adiens labitur.

Ex Scriptura.

Insidiatur in abscondito quasi leo in spelunca sua. Pf. 9. 9. Expectat te, non quarit: discerpet accedentem, devoravit inventum. Quasi leo est scelus, sed in spelunca sua; extrà est lepus. Oliva t. 2. Strom. §. tunc reliquit eum diabolus. Matth. 4. 11.

Qui fodit foveam, incidet in eam; & qui dissipat sepem, mordebit eum columber. Eccl. 10. 8. Hæc pœna justò Dei judicio irrogatur in audaces; qui spontè in pericula incurrunt, Proh temerarium hominem! quid ligonem sumis? quid terram effodies? quid voraginem aperis? Ergo si præceps ruas in barathrum, tibi imputetur. Quid tibi cum sepe? quid vallum subruis? quid parietinas demoliris? an nescis, fieri posse, ut intus lateat serpens? Fernandus in Gen. 2. 9. Sect. 4.

Cor durum habebit male in novissimo; & qui amat periculum, in illo peribit. Eccl. 3. 27. Ne quis ad cordis duritiam in peccatis perveniat, dat consilium; ut peccatorum occasiones, & pericula, fugiantur. Octavian. Tuffo hic.

Quis miserebitur incantatori à serpente percussò? Eccl. 12. 13. Qui casu incidit in aliquod malum, dignus est compassione: at qui sapius monitus, tamen respicere noluit, indignus illà. Magnus Salisburgensis, teste Delrio t. 2. disquis. mag. q. 13. cum vi incantationis multos serpentes in unam foveam coegisset; tandem abingenti uno, anno profiliente necatus est. Huic, inquit Ecclesiasticus, nemo miserebitur, quia cum serpentibus agit: amasti periculum, quid mirum, si in eo periisti. Id. hic.

Orate, nè intretis in tentationem. Luc. 22. 40. Tentatio flammæ comparatur. Eccl. 5. 1. 6. à pressurâ flamma, qua circumdedit me. Ut docere: non nocere tentationem, nisi iis, qui se conjecerunt in eam. Urit fornax, si te in eam projicias: si in eam injiciaris, solatium habebis, & roris & luminis. Id tibi restantur pueri tres roscidi in fornace. Injedi fuerunt; non se immiserè. Dan. 3. 21. l. 13. Strom. hic.

Leo rugiens circuit, quarens, quem devoret. 1. Pet. 5. 8. Dices: dæmon leo est, quis non pavebit? sed heus tu: leo iste non legitur irruere in caulas, deinde oves lacerare; sed circuit quarens &c. Ergo si ovis se intra sepeum teneat; tuta erit. Nè foras exeat, nè jugulum offerat, nè leonem in se invitet. Rugit leo, circuit, quarit; hoc tantùm potest: non vi comprehendit; sed fortè invenit; imò accipit se ultrò offerentem. Fernandus in Gen. 3. Sect. 12.

Exempla.

Vidit igitur mulier & tulit. Gen. 3. 6. Eva coram angue stetit infracta; pomò abstulit, quamdiu alloquò tantùm Sathanae fructus colorabatur: obtruserat enim se serpens mulieri; non illa ad serpentem accesserat. Tum ceci-

dit, cum in arborem coniectis oculis manus extendit. Oliva D. I. Quadr.

Capitur Samson; sed in sinu dormit insidiantis. Judic. 16. 19. Oliva l. 12. Strom. §. Quam tu pecussisti. Pf. 3. 8.

Viditque mulierem &c. 2. Reg. 11. 2. Egressus est vir spurius de castris &c. 1. Reg. 17. 4. Felix lucta, in qua hostem non quarimus, sed obvium habemus. Vel gigantem inermis, & pene puer David dejecit; non tam suo robore, sed hostis temeritate. Exhibat enim monstrum è castris, & Israel provocabat; & ideo solâ fundâ prostratus, qui refugientibus prælium occurrebat. At qui gigantem vicit inermis, à femina victus est post victorias, nimirum ibi discrimen illi advenerat; hic ipse ad discrimen accessit. Et nè putes, hic casum, ibi triumphum, partum esse, quòd durius sit luctari cum femina, quam gigante: recordare Davidis regressum à pugna. Obvios habuit choros puellarum blanditientium sibi, suumque illi triumphum laudantium. Et tamen adolecens victor, triumphator, ex faminis ornatissimis, seque unum miscentibus, & amanti-bus, nullam redamavit, nullam concupivit. At ætate grandævus, curis distentus, virtute robustior; solitarius ambulans in solario, vix mulierem unam vidit, & corruit. Itane? qui virginum phalanges salientes inter tympana, & plausus, nè, respexit quidem; uxorem militis videt, nè quidem se videntem; & mœcatur. Nimirum ibi feminae occurrerant, hic ipse occurrit femina: Ibi discrimen incurrit & elisit; hic accessit, & perit. Non despera de triumpho, si te impudicitia conveniat; noli triumpho confidere, si tu impudicitiam accerfas. Oliva t. 2. Strom. §. Tunc reliquit eum diabolus.

Petrus autem sequebatur eum usque in atrium principis Sacerdotum. Matth. 26. 58. Incidit in mulierem &c. fragilitas casus erat. Judas non incidit in occasionem, sed ipse ad principes ivit, scelestum sanxit pactum. Ambros. de negat. Petri: slevit, quare slevit? quia culpa irrepit ei: doluit, & slevit, quia erravit ut homo. Naxera in Jos. 16. §. 12.

Qui etiam despoliaverunt eum. Luc. 10. 30. Illud etiam vox est, copulativa, qua præcessisse designat savitiam; cum tamen barbaries suum initium fecerit à denudatione. Nisi fortè ærumna gravissima æstimatur, imò calamitatum omnium origo, incurrisse in scarios. Vix enim effugies, si in peccandi occasionem incideris. Oliva l. 13. Strom. Luc. 10. 30

§. IX.

In occasione Deus servat incolumes, qui non temerè se ingerunt.

Relictò in manu ejus palliò, fugit, & egressus est foras. Gen. 39. 12. Juvenis pulcher, captivus, servus Joseph evasit dominæ suæ blanditias, & minas. Quantum discrimen! juvenem esse; & à femina tentari: servum esse; & rogari à domina: voluptatem offerri; & mortem eligi: pallium dimittere; & compedes incurere! Secura fuit de victoria callitas, qua libidinis congressum non quaesierat, at offende-

offenderat. Oliva t. 2. Strom. §. Matth. 4. tunc reliquit eum diabolus &c.

Catulus leonis occurrit ei. Judic. 14. 5. Samsoni occurrens leo non vitam abstulit, sed triumphum, & delicias peperit. Et tu eris Samsoni occurrens, sed illud tibi. Idib.

Præoccupaverunt me laquei mortis. Pl. 17. 6. Quid inde? in tribulatione mea invocavi Dominum. v. 7. Si laquei præoccupant, nihil timendum. Omnia timenda, & vae nobis, si eos præoccupemus. Oliva l. 12. Strom. §. quoniam tu percussisti omnes &c.

Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circumdedit me. Pl. 31. 7. Si te hostis circumvenit, habes, à quo juvère: diripiére; si hostem provocas, aut irrites. Id. Dom. 1. Quadr.

Deus refugium nostrum, & virtus. Pl. 45. 2. S. Basilus hic: & refugium, & virtutem, rectè dixit; ut ostenderet, quod aliquando fugiendo, aliquando stando, & pugnando, vincimus. Refugium est Deus fugientibus periculum; virtus in occasione fortuita, non quaesita, pugnantibus. Pinna Ethol. 108. Ubi cernitur mirabilis ordo. Deus nimirum suis Fidelibus primò refugium est, deinde virtus. Primò fugientes, ac timentes, recipit, & fovet; deinde pugnantes cuetur, & adjuvat. Præterea, quod hic advertit S. Chrysof. fugientes, & resistentes, stantesque, vincimus; duoque nobis expetuntur: scilicet & declinare, & contendere, Ità ille. Perpende quoque ultima ver-

ba Davidis: Deus enim certum, & abundans nobis suum pollicetur auxilium; non quidem in quocunque tribulationum genere constitutis; sed in iis, quæ nos invenerunt; non autem in iis, quas nos ipsi ultrò quaerimus, & invenimus; & in quas scientes, & volentes, animus; ubi tamen sufficiens nunquam deest. Fernandus in Gen. 2. 9.

Non illi exulsi sunt, qui in fornacem coniecti; illi periére, qui ultrò eam accesserè. Dan. 3. 48. 49. Oliva t. 2. Strom. §. tunc reliquit eum &c.

Tunc reliquit eum diabolus. Matth. 4. 11. Vicit Christus; sed in eremo: ut discas timendos non esse adversarii conatus, & dolos; si ad nos ille accesserit: metuendos verò, si ad eum nos stolidè accedamus. Et accedens tentator &c. quia accessit, etiam recessit. Oliva t. 2. Strom. §. eodem. hic.

Scriptum est enim: quia Angelis suis &c. Matth. 4. 6. S. Bernardus f. 14. in Pl. 90. quid maligne angelis mandavit Deus? nempe quod in Psalmo sequitur: *ut custodiant in omnibus viis tuis;* nunquid in præcipitiis? Qualis via hæc, de pinnaculo templi mittere se deorsum? non est via hæc, sed ruina, & si via; tua est, non illius. Sic Deus, & Angeli, custodiunt nos in viis, & occasionebus, quas evitare non possumus; aut boni causâ opus habemus adire: non itè, in quibus periculis nos ultro versamur. Barradius t. 2. l. 2. c. 1. hic D. 1. Quadr.

TITULUS V. OCULI.

§. I.

Laudes.

Oculi tui columbarum. Cant. 1. 14. Quoties sponsam laudat, dum ad particularia membra laudanda descendit, semper ab oculorum laude incipit. de Ponte hic Exh. 11.

Carcer est totum corpus tenebroso inhorrescens situ, nisi oculorum illuminetur aspectu. Quod ergo sol, & luna, in cælo; hoc sunt oculi in homine S. Ambros. hexam. l. 6. c. 9.

Quid mirum, si vultus hominis absque oculis deformis est; quando ipsum cælum sine sole non habet suum decorem. Tristes sine sole dies ducimus; noctes sine lunâ non placent: ipsi enim sunt quidam Mundi oculi, S. Ambros. l. de Noe & arca c. 7.

Quod sol in Mundo, hoc oculus in corpore. S. Basil. Seleuc. or. in duos Evang. cæcos.

Quod mens in animo est, id oculus in corpore. Philo lib. de Mundi opif.

Quæcunque in nobis sunt, divinæ sunt sapientiæ indicium: multo magis oculus, qui totum corpus gubernat, ac regit. oculus ornat non os tantum, sed totum corpus. Oculus lucerna est omnium membrorum: quod enim sol Mundo, hoc oculus corpori. S. Chrysof. hom. 55. in Joan.

Polyanth. Sacr. Tom. II,

§. II.

Oculus periculosum membrum.

Vidit mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum. Gen. 3. 6. Validior ad proculcandam legem spe potiundæ divinitatis, alioquoque serpentis, coniectus oculorum fuit: quò donec mulier abstinuit, jejunavit; quò ubi abusa est, capta est. Oliva l. 1. Strom. §. qui viderit mulierem &c. Summè cavendum est, quid homo in corde revolvat: quia omne malum intrat per sensus, & cogitatus: unde ille est janitor diaboli, scilicet oculus, & malus cogitatus; qui introducit bestias Inferni, quæ animas vastant. S. Thom. Aqu. in Gen. c. 3. Ego certè, qui jam senex sum, anis faciem rugis exaratam, ac lippientem, oculorum fluminibus madidam, securus intueor, licenter attendo: à virginibus autem, & fucatis, sic oculos, tanquam pueros ab igne, custodio. B. Petr. Dam. de sel. 7. ep. 18. Sanctus Cardinalis, licet flagellis aliudis carnem domuerit, & jejuniis? adhuc tamen formosas intueri veretur; & sibi timet ab oculis. Alvarez in Gen. 39. Illustr. 93.

Azyma comedetis septem diebus; & non apparebit apud te aliquid fermentatum. Ex. 13. 7. Cur prohibetur fermentati conspectus? Tanta est connexio inter oculorum visum,

E e sum,